

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5558

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Bernay, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, juin

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, s'appuyant sur la charte de fondation donnée par le duc Richard, déclare conserver l'abbaye de Bernay sous sa garde et protection particulière.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 288.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum carissimus frater et fidelis noster, Petrus, comes Alenconii, in nostra curia proposuisset, contra abbatem et conventum de Bernayo, quod monasterium de Bernayo a prima sui fundatione fundatum fuerat a comitibus Alenconii et erat situm infra metas comitatus predicti, et quod clare memorie Ludovicus, Francorum rex, genitor noster et suus, dederat ipsi comiti comitatum predictum Alenconii cum omnibus juribus et justicia magna que dicitur placitum ensis et aliis comitatus predicti pertinentiis, sicut eas possidebat dictus dominus genitor noster et suus tempore quo vivebat in comitatu predicto, quare petebat dictus comes custodiam seu gardam monasterii predicti et placitum ensis in terra dicti monasterii et in homines ipsius monasterii consistentes in feodis comitatus predicti, et in bonis eorum existentibus in feodis predictis sibi liberari ratione sui comitatus predicti ; dictis abbate et conventu ex adverso dicentibus, dictum monasterium non esse fundatum a comitibus Alenconii, nec esse de comitatu vel in comitatu Alenconii, nec de rebus datis a dicto domino genitore nostro eidem fratri nostro in comitatu predicto nec de pertinentiis ad predicta, et asserentibus quod Ricardus, dux Normannie, uxori sue, que Judith vocabatur, concessit ut in loco qui Berniacus vocabatur de terra quam eidem in dotalicium dederat monasterium fundaret, quod opus cum morte preventa complere nequivisset, idem dux, pro salute anime sue et uxoris sue predicte, dictum opus complevit, et pefatam ecclesiam de suo patrimonio fundavit et dotavit, et plures alias rationes pretendentes, per quas dicebant in gardia, protectione et jurisdictione nostra remanere debere. Auditis hinc inde propositis, visis depositionibus quorundam testium super premissis receptorum, visis etiam privilegiis, cartis et litteris a partibus exhibitis, et rationibus parcius plenius intellectis, pronunciatum fuit per curie nostre iudicium monasterium de Bernayo cum pertinentiis suis in garda et protectione nostra et heredum nostrorum Normannie ducum remanere debere, et placitum spate in locis predictis ad nos et heredes nostros duces Normannie pertinere. In

cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, mense junio.